

bientis episcopalem dignitatem in Bosna<sup>140</sup> — demum a. 1847 provisum fuit in sensu a consultore Bertetti exposito, restituzione videlicet provinciae regularis cum juribus et privilegiis prioribus, ac veteris systematis introductione.<sup>141</sup> Loco Vicarii Apostolici Barišić ecclesiam regebat Pro-vicarius apostolicus fr. Andreas Karačić<sup>142</sup> usque ad a. 1854 quando in Vicarium Apostolicum electus fuit fr. Marianus Šunjić, cum titulo episcopi Panadensis.<sup>143</sup> Hoc eodem tempore a Bosna divisa est Hercegovina et in Vicariatum Apostolicum speciale ac regularem custodiam regiminis formata.<sup>144</sup>

Novus Vicarius Apostolicus Šunjić statim in prima sua epistola plenam autonomiam provinciae agnoscit<sup>145</sup> ac vetera jura et privilegia, quae ipse nunc se in omnibus observaturum solemniter pollicetur.<sup>146</sup> Eodem hoc anno provincialis Nedić ut inconcussum et ab omnibus admisum testatur parochias in Bosna incorporatas esse conventibus: »Jus patronatus parochiarum in his apostolicis mis-

<sup>140</sup> Poothen, natione Germanus de Colonia, in Bulgaria erat missionarius. Episcopus Molajoni sumpsit eum sibi in socium visitationis in Bosna ac visitatione peracta loco sui pro interim reliquit. (Matasović, o. c. 327; Jelenić, Kultura i bos. Franjevci, II, 51). De ejusdem machinatio-nibus contra fratres nolentes ipsius nominationem in Vicarium Apostolicum loco episcopi Barišić vide apud Jelenić, o. c. 51ss; Rupčić, o. c. 135ss.

<sup>141</sup> Jelenić, Izvori, 161—162.

<sup>142</sup> Nominatus fuit die 30 Septembris 1847. Premrou, o. c. 587.

<sup>143</sup> Nominatus fuit die 3 Octobris 1854. Premrou, l. c. 587.

<sup>144</sup> Schematismus almae missionariae provinciae O. F. M. in Hercegovina 1933, 21 sqq.

<sup>145</sup> »Primo igitur certos vos redbo: meam novo hoc onere et dignitate minime mutari convictionem. Convictus autem semper fui, sum etiamnum: hanc provinciam religiosam a tot saeculis tam praeclare de Christi religio-ne meritam non modo dignam esse, quae deinceps quoque in sua conserve-tur integritate, restituto utique ei vigore disciplinae, verum nihil in praesenti rerum statu mihi videri, quod ejus loco salubrius, aut pari fructu pro ipsa religione possit substitui«. Arch. Con. Kreševi.

<sup>146</sup> »Quae privilegia sive a jure communi statuta, sive speciali S. Sedis dispositione elargita, tanto majore prosequor, prosequarque reverentia, quanto nobis omnibus honorabilior debet esse fons ex quo illa processerunt«. Ibidem.